

ubi duas similitudines adhibuit solis et pluviae. *Permanebit cum sole, et ante lunam, in generatione, et generationem. Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* Accedit non parum momenti huic opinioni, quia statim v. 5, dicit Psaltes, pro tantâ dignitate, promissisque usque ad eam liberalibus exigua esse domum suam. Sed de hac cogitatione statim.

Videri etiam posset totum Psalterium suavissimis refertum vaticiniis, duabus hisce similitudinibus expressum. Nam totum stillat coelesti quodam nectare, totum splendet sicut aurora, quam nulla nubium opacitas obscurat, et non aliter à sitientibus mortalium animis excipitur, quam coelestis imber ab agro sitienti. Sanè hoc postremum suae prophetiae ac verbis inesse, aut praedicabat aut optabat Moyses Deut. 32, v. 2: *Concresecat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stilla super gramina.*

Ego hæc de domo Davidis accipio, ex qua ortus est Christus Servator, quæ eo nomine tantum splendoris accepit, ut alia quaecumque à regis titulis et divitiis ornamenta appellari possint, non aurora rutilans, sed peririgidæ noctis densa caligo. Quare hoc de Christo vaticinium est, de quo in Psalterio toto præcipuum argumentum: ex quo in Davidis familiam quam maximus esse à posteris aut solet aut potest, splendor advenit. Ait ergo David et domui suæ à generosa prole, et universo mundo à Christo Servatore tantum affulsisse lucis, quantum excedente nocte sub matutinam lucem affert aurora, quæ solem in suo complexu circumfert et continet; cujus à nubium oppositu neque obducitur, neque obscuratur lumen. Cum autem sol quocumque diei tempore mundum exhilaret, sed eo maxime tempore præstat, cum nocturnas abigit tenebras, et suos incipit radios effundere. Jacebat mundus totus in tenebris, quæ longo Cimmerias vincebant intervallo, illas dispulit Christus, qui lux dicitur mundi, quæ tantò magis splenduit, quanto magis nox quæ æterna futura videbatur, inhorruit. Hunc solem prophetice oculis videbat Isaias cap. 60, cum dicebat: *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum.* De hoc loquebatur Zacharias c. 5: *Ecce ego adducam servum meum Orientem.* Ubi multi à sole putant ductam esse metaphoram. Hoc alter Zacharias Baptistæ pater, Lucæ cap. 1, in hunc fortasse locum intentus: *Visitavit nos Oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent.*

ET SICUT PLUVIIS GERMINAT HERBA DE TERRA.

Christus imber vocatur, quia id præstitit mundo à bonis fructibus jam dudum sterili, quod imber agro sitienti et à naturalibus spoliato delictis. Imber dicitur Christus ab Isaiâ, dum Christi desiderio clamat: *Rorate cæli, desuper, et nubes pluant justum, c. 45.* De hoc imbre item Joel c. 2: *Filii Sion, exultate, et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum, etc.* ubi etiam meminit herbae, quam terra fundit ab imbre gravidata. *Nolite, inquit, timere animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti.* Talem mundo tristi et squalido Dens faciem dedit, qualis opportunus imber, cum terra sitit, aut verna temperies post hyemem et glaciem, et qualis regis vultus posito supercilio lætus atque festivus, qui pluviae coelesti comparatur, Prov. c. 16, v. 15: *In hilaritate vultus regis vita: et clementia ejus quasi imber serotinus.* Hæc porro similitudines à pluvia et ab aurora sumptæ, magnam expriment speciem, et commoditatem in rebus. Terra enim, nisi ab aquis humescat, non solum deformis est, sed tristes, utpote sine suo naturali succo et sanguine, ita ut illam appellare possis exanguem et mortuam. Desiderium suum incitatum et ardens hæc similitudine explicat David, cum dicebat psalmo 142: *Expandi ad te manus meas; anima mea sicut terra sine aquâ tibi. Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.* Ab aurora sumpserunt puellæ psaltriæ similitudinem, ut sponsæ pulchritudinem commendarent. Cant. 6: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens?* Et Theocritus eadem similitudine Idyllio 18, venustatem expressit Helenæ; talem enim fingit, qualis aurora apparet abeunte nocte.

*Nam sicut ubi nox alma recessit,*

*Os croceum cælo profert aurora renascens.*

VERS. 5. — NEC TANTA EST DOMUS MEA APUD DEUM, UT PACTUM ÆTERNUM INIRET MECUM. Hæc satis explicant sermonem esse de Christo, qui futurus erat de semine David, quod pactum appellat sempiternum; quæ etiam de re non semel aliquid occurrit in psalmis. Psalmo 88, v. 56: *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit.* Et psalmo 131, v. 11: *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

De quo regno multa supra c. 7. Magnum hoc procul dubio beneficium est, quod David ipse miratur, quòd Dominus cum domo exigua,

atque humili pactum inierit æternum, sive hoc de regno intelligas temporali, quod ad tempus usque Christi non excidit è domo David, ut nonnulli putant, qui existimant id sonare proximè sonum litteræ; sive, quod verius est, de Christo, allegorico saltem sensu, cujus illis in locis obscura licet umbra Salomon fuit. Sanè nisi de Christo capias, non potest ullo modo intelligi, quomodo in domo Davidis regnum hære queat sempiternum. Quod angelus explicuit Lucæ cap. 1: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo David in æternum, et regni ejus non erit finis.* Hoc porro pactum munitum esse dicit, aut quia juramento confirmatum est, ut constat ex locis proximè citatis ex psalmis; aut quia ita à divino decreto firmum est, ut à nullâ vi extrinsecus allatâ convelli, aut infirmari possit.

CUNCTA ENIM SALUS MEA, ET OMNIS VOLUNTAS, NEQUE EST QUIDQUAM EX EA, QUOD NON GERMINET (1). Sensus difficilis non est, si modò hic ellipsim agnoscas, et suppleas aliquid, quod ipse ultrò suggerit textus. Dixerat proximè David, exilem esse atque obscuram domum suam, præsertim si illud intuearis tempus, in quo David pastortium obibat ministerium, aut quando errabat fugitivus in sylvis, neque dum Israelitici imperii habenas acceperat. Quare si quid habet illustre, si quid ab antiquis familiæ sordibus elevatum, si vicit, si vivit, si aliorum sibi studia conciliavit et gratiam, id totum Deo reddit acceptum, qui illi cuncta salus est. Supplendum

(1) Hebræus ad litteram: *Cuncta salus mea et desiderium, quia non florebit.* Deus est servator meus, à quo optata omnia teneo; sed postrema hæc verba, *quia non florebit,* superiorum sententiam penitus destruere videntur. An his exprimitur, non permissurum Deum, ut vota prophetæ expleantur, ut sperata teneat, et ad successores suos transmittat? Nonne potius carmen hoc eucharisticum de factâ à Deo spe agit, totam scilicet beneficiis et familiam ipsius et posteritatem cumulandi? Servanda est igitur Vulgatæ interpretatio, reddendumque: *Non est quidquam in familiâ meâ, quod non germinet, et floreat ipso largiente.* Sive interrogantis sententiâ: *An familiâ meâ non florebit?* Congruunt hæc apertissime cum his quæ antea expresserat, cum familiam suam, vel regnum comparavit herbis maxime validis et irrigatis, sub felici solis aspectu; nihil ibi est quod non germinet, quod non floreat, quod non pullulet. Verba hæc cum posterioribus jungunt Septuaginta: *Quoniam non germinabit iniquus;* planta est infelix, quæ succo destituitur, ut brevi cadat et arescat. Sed versioni huic congruere non potest Hebræus, exhibens conjunctionem ante vocem *Belial,* vel *prævaricator:* *Quia non florebit, et Belial.* (Calmet.)

est enim hic, *ipse est,* nempe *omnis salus mea.* Quòd verò in salute omnia intelligantur bona, quæ hominis vitam fortunant atque ornant, nemo nescit.

ET OMNIS VOLUNTAS (nempe, *mea ipse est*). Illum amo, illi adhærere studeo, ab illo spero omnia, quia humana omnia sive promissa, sive auxilia, et fidem habent levem, et vim infirmam. Et ideò psalmo 17, qui omninò idem est cum eo qui antecessit proximè, cecinit David: *Diligam te, Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus, Deus meus adjutor meus.* Hæc quoque pars Psalterii est, in quo frequenter occurrunt aut hæc, aut similia.

NEQUE EST QUIDQUAM EX EA, QUOD NON GERMINET. Compararat supra Deum, aut Christum ambri coelesti, qui terram irrigat arenam, eamque fœcundat, et novo atque specioso germine convestit. Imbrèm illum in suam domum, quasi in sitientem et aridum campum illapsum esse dicit, qui fecit ne quid in eâ familiâ esset infœcundum, ne quid à vernali specie, et fructuum ubertate vacuum. Et reverà ita accidit; sic enim erat instructa domus opibus, splendore, omnibus denique rebus quæ numerantur in bonis, ut ager videri potuerit irrigatus è celo, et omnium florum fructuumque varietate distinctum; qualis erat ille qui ab Isaac Genes. c. 17, v. 27, describitur, cujus odor esse dicitur, *sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus;* et cui dedit Deus id quod sequitur, *de rore cæli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini.* Aut qualis erat hortus ille conclusus et irriguus, de quo Cant. 4, cui comparatur sponsæ pulchritudo.

Seu certè, quia regnum Davidis familiæ sempiternum promittitur, necesse est, ut etiam sit ex illius semine sempiterna successio. Atque ideò videtur affirmare Psaltes, neminem ex suâ domo futurum sterilem, et quasi lignum aridum, ex quo singulis ætatibus novellæ quædam virgæ, et succedanea germina succrescant.

VERS. 6. — PREVARICATORES AUTEM QUASI SPINÆ EVELENTUR UNIVERSI, QUÆ NON TOLLUNTUR MANIBUS. Hæc est alia Davidici Psalterii pars sæpius iterata, quæ ad viros spectat improbos, quos concutit et lacerat vaticinio minaci. Qualis Deus futurus sit in illos qui Deum colunt et timent, diximus nuper ad illud: *Iustus dominator in timore Dei.* Nunc docet, quales futuri sint illi quos neque Dei amor ad divinam præstandam voluntatem inflammat, neque observantia et timor ab illâ violandâ deterret.

Quos cum spinis comparat, quas homines ita horrent, ut manu contingere non audeant; quia prorsus intractabiles, quæ neque plantantur, neque ullo modo coluntur ab agricolâ: sed si aliquid cogitat de spinis, illud totum eò spectat, ut illas stirpitus evellat, ut purgetur ager, quem spinosæ plantæ sylvescere faciunt, et dedat incendio. Reliquæ plantæ atque herbæ, quæ usum habent humanæ necessitati, aut etiam voluptati gratum et idoneum, tractantur manu, putantur, inferuntur, et mille ab agricolarum manibus accipiunt beneficia. At spinæ, quæ manum non oblectant, sed potius distringunt et pungunt, ferratis tanguntur instrumentis, quibus avelluntur aut resecantur, ut quàm procul sunt ab hominum usu, tam procul ab illorum oculis removeantur. Atque ideò subditur:

VERS. 7. — ET SI QUIS TANGERE VOLUERIT EAS, ARMABITUR FERRO, ET LIGNO LANCEATO (1). Si quis manu contrectare voluerit spinas, nempe ut evellat, aut à loco removeat, seu etiam ut in ignem conjiciat, non facit hoc manu, sed ligone, aut falce, aut præferrato ligno ad hastæ similitudinem; aut etiam igne, qui exustis spinosis herbis, aut aculeatis fruticibus, quales sunt rubi aut rhamni, agrum purgant ut minore cum labore colatur, et ne illæ infensæ et vernaculæ pestes frugibus incommodent. Id certè ex rusticâ disciplinâ fieri debere docent, qui eâ de re præcepta tradiderunt. Sic sanè Virg. lib. 1 Georg.:

*Segeti prætereundæ sepe,*

(1) Paraphrasticè et eleganter hæc omnia, à versu 4, hucusque vertit Chald., justisque et sanctis, qualis erat David adaptat: « Beati, inquit, eritis vos, justi; fecistis vobis facta bona, quia vos futuri estis, ut luceatis in luce gloriæ vestræ sicut splendor auroræ, qui ambulat et constat; et sicut sol qui splendet absque nubibus in splendore gloriæ suæ. Ecce sicut ager qui expectat in annis siccitatis, ut descendat pluvia super terram. » Deinde antithesim impiorum sanctis opponit: « Improbi, ait, factores peccati erunt similes spinis, quæ in ortu suo molles ad eruendum, et omnis filius hominis parcat super eis, et sinit eas; procedunt et invalescunt usquequò non sit possibile appropinquare ad eas manu; et sic omnis homo qui incipit appropinquare ad peccata progredientia et se roborantia superse, usquequò operiant eum tanquam vestis ferrea, non (quia Chaldæus putat negationem præcedentem hic esse repetendam) prævalent illi in lignis hastarum et lancearum; ideò non est necesse ultio eorum in manu hominis, sed in igne incendiando incendetur, cum apparuerit domus iudicii magni, ut se deat super solum iudicii ad iudicandum seculum. »

(Corn. à Lap.)

*Insidias avibus moliri, incendere vepres.*

Et hoc arbitror hic potius significari. Nam ubi Vulgatus habet, usque ad nihilum, Hebr. est, *basebeth*, id est, in suâ sede aut loco, quomodo transtulit Pagninus. Quasi dicat: Eadem sede, ac loco, ubi natæ sunt, comburentur spinæ, quia videlicet nemo illas ibi tangere, aut è suo loco commovere audebit. Vulgatus *sedem* ibi pro radice posuit, quasi dicat: Ad radices usque comburet: id verò est ad nihilum redigi, vel nihil esse reliquum ab igne. Quod etiam dixisse videtur Job c. 31, v. 12, de luxuria: *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina*. Certè Tigurina pro sede, *stirpem*, reddidit. Et hoc fortasse indicat illud psalmi 117: *Exarserunt sicut ignis in spinis*. Spinæ porro perditorum hominum, et prolifigatæ vitæ symbolum sunt. Sic sanè Bernardus serm. 48 in Cant., super illud: *Sicut lilium inter spinas*: Spina, inquit, culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus. O candens lilium, ô tener et delicate flos, increduli et subversores sunt tecum: vide quomodo cautè ambulas inter spinas. Idem Gregorius lib. 20 Moral. c. 9, explicans illud Job c. 30: *Radix juniperorum erat cubus eorum*. Sanè Michæas cap. 7, v. 4, similes aculeatis plantis peccatores esse dicit. *Qui optimus in eis, est quasi paliurus, et qui rectus, quasi spina de sepe*.

Quod autem his verbis complexus est propheta Psaltes, idem videtur in ipso Psalterii exordio proposuisse: nam psalmo 1, statum honorum ac malorum expressit, idque similitudinè ad utrumque statum accommodatâ; et in secundo satis explicatè locutus est de Christo, dum gentium in illum fremitus et conjurationem describit.

Est itaque hæc summa quædam eorum, quæ in Psalterio toto fusiùs multis in locis digesta sunt, quæ licet psalmo omnium extremo sint ab historico subscripta, suum tamen locum habitura videntur in principio. Sic enim videtur exigere, et ars ipsa, quæ jubet docilitatis gratiâ causam totam, seu orationis, atque poeseos argumentum in exordio proponi; quod etiam probant tam in sacrâ quàm in profanâ litteraturâ plurimorum exempla. Quocirca, si quispiam ista Psalterii præponeret exordio, rem faceret omninò, nisi fallor, non alienam ab instituto et more illorum qui sacram aut profanam poesim ediderunt. Quod fecit in Proverbiis Salomon, ubi et auctoris nomen, et notas, et operis totius argumentum latè proposuit. *Parabola*, inquit, *Salomonis filii David, regis Israel*. En auct-

toris nomen. Materiam accipe: *Ad sciendam sapientiam et disciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ et suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam, et iudicium et æquitatem, ut detur parvulis astutia, adolescentiæ scientia, et intellectus*.

VERS. 8. — HÆC NOMINA FORTIUM DAVID (1).

(1) Additur 1 Paralip. 11, v. 10: *Qui adjuverunt eum, ut rex fieret super omnem Israel*. Porro hi fortes habitabant in domo unâ quæ Nehem. 3, 16, vocatur *domus fortium*, ubi etiam quasi in palæstrâ athletæ et pugiles exercitii causâ digladiationibus certabant, ait ex Lyran. Adrichomius, qui eam sitam ait in monte Sion juxta palatium Davidis, ibique eandem graphicè depingit. Textitur hic catalogus fortium militum sive heroum Davidis, primò, ad historiæ integritatem, ut scilicet constet qui fuerint milites et duces per quos David prælia tanta confecit, et tot victorias obtinuit; secundò, ut virtuti eorum hæc laus detur, quæ omnes ad fortitudinem eorum imitandam excitet; allegoricè, ut hi fortes Davidis representent Christi Apostolos et viros apostolicos, per quorum heroica facta ipse suæ fidei subegit totum orbem; tropologicè, ut eorum exemplo inmentur fideles ad fortiter certandum contra carnem, mundum et demones. *Regnum enim caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, Matth. 11. Cœlum enim sublime est et forte, quare à fidelibus mente sublimioribus et fortioribus expugnandum est. Igitur cœlum est civitas fortium, in quâ nemo imbellis et imbecillis admittitur, juxta illud Isaïæ 26, 1: *Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator: in eâ ponetur murus et antemurale*. In Vita S. Astionis et Epicteti martyrum, qui acerba pro Christo tormenta fortissimè tolerarunt, nil aliud ingeminantes, quàm: *Christiani sumus*, refertur, quòd Vigilantius Astionis mortem parentibus adhuc infidelibus nuntiavit parabolicè, dicens, eum in remotam regionem migrasse, in quâ felicissimè viveret. Rogavit mater dixitque: *Quæ est regio illa, quò perrexit dulcissimus meus et unicuique Astion?* Vigilantius respondit: *Regio robustorum, seu fortium virorum*, quam deinde ex Apoc. cap. 21, graphicè depingit, ac tandem explicans illam esse cœlum, ad quod per martyrium transierit fortis Astion, parentes ejus ad Christi fidem convertit.

(Corn. à Lap.)

*Voici le nom des plus vaillants hommes de David. Abino fut le premier d'entre les trois les plus signalés. L'Écriture marque ici les plus vaillants hommes qui ont paru du temps de David. Elle en fait comme trois rangs différents. Les trois premiers, qui étaient les plus signalés de tous; les trois seconds, et trente-et-un autres qui sont nommés de suite. On peut s'étonner qu'Abisaï et Asaël, les deux frères de Joab, et son écuyer, étant nommés dans le dénombrement des plus vaillants hommes qui aient paru sous le règne de David, Joab lui-même n'y soit point nommé: car il semble qu'il n'a cédé à nul autre pour le courage et la hardiesse. Nous voyons même que lorsque David proposa le commandement de son armée, pour prix de celui qui témoignerait le plus de cœur à la prise de la forteresse de Sion, Joab monta le premier sur la muraille, et s'acquitt ainsi la charge de général. Ce que l'on peut dire de plus vraisem-*

Sicut prior pars capituli à capite præcedenti, imò et à toto libro separata est: neque enim habemus cui ex superioribus capitibus possit atteri, si modò, quod putabamus non improbabile, Psalterii titulus est: sic etiam pars capituli posterior non habet aliquid certum supra, cui possit commodè et continenter adjungi. Ponitur ergo hic catalogus illorum qui in Davidis exercitu, aut societate, antequàm Israelitici regni habe-

blable sur ce sujet, c'est que le Saint-Esprit a voulu témoigner ainsi l'horreur qu'il avait des deux assassinats que Joab avait commis en la personne d'Abner et d'Amasa, dont l'un était cousin-germain de Saül, et l'autre neveu de David. Il a voulu nous marquer par ce silence que la valeur n'est digne d'estime que lorsqu'on l'emploie à sacrifier sa vie pour les intérêts de son prince, mais qu'un homme ne mérite point d'avoir place entre ceux qui se sont signalés par des actions héroïques, lorsqu'il n'est touché ni de la crainte de Dieu, ni de l'honnêteté et de la raison; et qu'il n'a pour règle de sa conduite qu'une ambition qui n'a point de bornes.

Outre ce sens historique, on peut tirer de ces paroles une instruction très-importante. David est vaillant lui-même autant qu'aucun homme de son siècle; et de plus il forme par son exemple et il conserve auprès de lui une troupe d'hommes choisis, dont le courage a paru plus qu'humain, et dont le Saint-Esprit rapporte lui-même des actions d'une magnanimité presque incroyables. Tous ceux qui ont servi Dieu dans tous les siècles ont tâché ainsi de lui procurer des serviteurs semblables à eux, et de laisser après leur mort des imitateurs de leur piété et de leur zèle. Ils ont eu soin de pratiquer cet excellent avis, que saint Paul donne à son disciple Timothée: *Fortifiez-vous, mon fils, par la grâce qui est en Jésus-Christ, et gardant ce que vous avez appris de moi devant plusieurs témoins, donnez-le en dépôt à des hommes fidèles, qui soient eux-mêmes capables d'en instruire d'autres*. Car si un sage Romain a dit qu'il ne se mettait pas moins en peine de l'état où la république serait après sa mort que de celui où il la voyait pendant sa vie, il est bien juste que ceux à qui Dieu a donné un amour sincère pour son Eglise, qui est le royaume de son Fils, tâchent de lui laisser après eux des personnes qui soutiennent la pureté de sa discipline parmi ses enfants qui la déshonorent, et qui défendent l'intégrité de sa foi contre ses ennemis qui la combattent. Et comme David a aimé tous ces vaillants hommes qui l'ont aidé à vaincre ses ennemis, et que, bien loin que leur courage extraordinaire l'ait touché de la moindre jalousie, il a pris plaisir, au contraire, à relever et à récompenser leur mérite; ainsi ces ministres saints du véritable David ont travaillé avec joie à former des hommes qui pussent non-seulement égaux, mais surpasser même tout ce qu'ils avaient reçu de grâce pour Jésus-Christ et pour son Eglise; et ils ont cru, à l'imitation de saint Paul, qu'ils seraient leur couronne et leur principale gloire.

(Sacy.)

nas acciperet, aliquid ediderunt illustre, propter quod nobile virorum fortium cognomen tum consecuti sunt. Quorum aliqui terni in suis ordinibus constituuntur, quorum gesta, quia aliis Scripturæ locis consignata non sunt, non possunt tradi non obscurè, quia non est unde ab interprete lucis aliquid assumi possit. Quare ex hæc disputatione brevi, ut opinor, emergemus.

SEDENS IN CATHEDRA SAPIENTISSIMUS PRINCEPS INTER TRES. Hic locus nonnihil nobis exhibebit negotii, neque enim habemus ex Scripturâ quis sit hic princeps inter tres, id est, inter omnes; nam tres isti aliis omnibus dicuntur esse prælati. Et primum contra quam nonnulli existimaverunt, non est iste David; tum quia cum alia plurima gesta fuerint à Davide, non videbantur sic esse hoc loco prætermittenda, ut nullum illorum audiremus. Deinde, quia codices à Sixto correcti post David adhibent distinctionis notam, ita ut nomen illud potius ad superiora referatur in obliquo, quam ut in recto ad illa quæ sequuntur. Et facit quod nomini David nota præponitur dativi casus לַדָּוִד *le David*. Quare sensus erit: Hæc fuerunt nomina fortium, qui fuerunt Davidi. Sed est gravissima ratio, quia lib. 1 Paral. c. 11, v. 10, ubi virorum fortium nomina notantur, primus in primo ternario non ponitur David, sed Jesbaam. Sic exposuit Hieronymus qui lib. 2 Reg. reddidit, *sedens in cathedrâ*, ubi videtur pro nomine proprio illius significationem adhibuisse. Obscurum est, et omnino difficile causam invenire, cur hic, qui omnium in fortitudine ac sapientiâ numeratur primus, et princeps appellatur, duo hæc habuerit nomina; et uno loco dicatur *sapientissimus*, in altero *filius Hachamoni*. Hic mihi divinandum est, faxit Deus ne abs re.

Et primum observa apud Hebræos allusiones esse plurimas, et paranomasias ad propria nomina, et ab illis modico flexu desumi atque formari communiâ: quo modo Nabal cum allusione ad proprium nomen vocatur *stultus* lib. 1 Reg. c. 25, et Jeremi. c. 20, *Phassar*, cum allusione ad nomen illud vocatus est: *Pavor undique*. Sic Noemi Ruth cap. 1, cum allusione ad nomen Hebraicum, quod tunc audiebatur, negat se esse Noemi; id est, pulchram. Erat Jesbaam, ut apparet, filius Hachamoni, quod nomen sapientem sonat, et tres primæ litteræ radicales nominis *Jesbaam*, sedere, vel sedentem, significant, et, ut interpretatur Hieronymus in Traditionibus ad c. 11, lib. 1 Paralip.

idem valet atque, *sedens in populo*, quod perinde est atque sedens in tribunali et cathedrâ. Cum ergo vulgus hominum filium videret vocari Hachamoni, filium appellavit sapientis; quod juxta Hebræorum idioma idem est atque homo sapiens: cumque sapiens in cathedrâ sedere soleat, et nomen ipsum proprium sedere, aut aliquid quod sessionem indicat, importet, illum appellavit sapientem, et sedentem in cathedrâ. Quare, *sedens in cathedrâ sapientissimus*, idem est, quod, *Jesbaam filius Hachamoni*. Ita videntur duo hæc loca posse non difficile componi; hæc mea conjectura est; si quis meliorem aliquam attulerit, aut magis idoneam explicationem, gratus accipiam. Certè hoc nomen esse proprium docent translationes quædam, Septuaginta vertunt *Jebasthæ Chanaanæum*, Josephus lib. 7, cap. 10, *Issenum*, vel *Eusebium*.

Sunt, ut dixi, qui hæc verba de Davide exponant. Ita Hebræi, ut docet Hieronymus in Traditionibus in lib. 1 Paralip. et Chaldaeus. Item Lyra et Dionysius, et videtur hanc sententiam Abulensis probare q. 7, licet aliud statuat q. 9. Oppositum tenent quidam ex Hebræis, et Josephus lib. 7, cap. 10, licet ibi nomen Hebraicum aliter convertat Eusebius, vel, ut habet altera translatio, *Issenum filium Achimæi*, Hugo, Vatablus, Cajetanus, Glossa, et hoc, ut dixi, probabilis est, et docet aperte Septuaginta translatio, quæ virum hunc dicit esse à Davide diversum. Laudatur porro hic à sapientiâ, quam paterni nominis indicat notatio, quia in duce, qualis hic videtur fuisse, magis est necessaria prudentia, quæ commissas sibi moderatur acies, et in omnibus utiliter pugnat, quam robur, quod non tam ducis, quam gregarii militis commendatio est, juxta illud Proverb. 6: *Melior est sapientia, quam vires*. Hic porro inter tres primos princeps esse dicitur, atque adeo inter omnes, quorum hic textitur catalogus, quia etiam hi tres, qui in primâ robustorum classe statuuntur, principes omnium judicati sunt.

Sunt qui illud, *sedens in cathedrâ*; ad Davidem referant, neque tamen de illo capiant id quod proximè sequitur, sed de alio quodam, cujus silent nomen. Tigurina: *Hæc sunt nomina heroum, quos habuit David, cum sederet in solio sapientiæ*. Alii nomen proprium adhibent illius, qui fortium vocatur princeps, aliud tamen à Jesbaam, nempe *Adino Esnita*, pro quo Vulgatus reddidit, *tenerrimus ligni vermiculus*. Ita Sanctes, Pagninus et Cajetanus. Septuaginta

vocant, *Adino Assonæum*. Sed ista non bene cum hoc loco, neque cum c. 11 lib. 1 Paralip. conveniunt.

IPSE EST QUASI TENERRIMUS LIGNI VERMICULUS (1), QUI INTERFECIT OCTINGENTOS IMPETU UNO (2). Hic apparet Jesbaam, aut, ut aliqui arbitrantur, sapientia Davidis, qui prudenter et tectè sic instruxit et ordinavit acies, aut sic ipse scienter et callidè aggressus est inimicorum castra, ut prius tantus hostium ceciderit numerus, quam se ab adversario oppugnari sentirent. Hic enim spectare arbitror comparisonem à vermiculo sumptam, qui sensim corrodit lignum, eoque adigit tacito atque latenti morsu, ut lignum, licet magnæ firmitatis ac molis, exedat tamen, terebret et corrumpat. Sic etiam Jesbaam cum sua molitudine atque silentio nihil videretur esse perfecturus, magnam tamen inopinatè edidit inimicorum stragem. Ita exponit Rabanus. Ubi Vulgatus, *tenerrimus ligni vermiculus*, Hebr. est, *Adino*, quod molle aliquid, tenerum et delicatum significat; cumque in ligno aliqua reperiantur delicata ac mollia, nempe novelli rami, qui nondum obdurerunt, neque assumpserunt à tempore aliquid firmitatis; item vermiculus, qui in ligno latet, sicut in vestimento tinea, qui teredo vocatur; in hæc secundam sententiam exposuit Vulgatus, commodissimo sensu, eo nempe quem proximè produximus. Qui sanè nobis probandus, et primo statuendus est loco. Sed est etiam sensus non alienus si tenerum illud et molle aliquid esse dicas, quod e trunco proximè aut

(1) Tropologicè, sancti qui in sapientiâ et virtute eminent, apud se et alios sunthumillimi et mansuetissimi, quasi vermiculi; idem tamen contra vitia et dæmones sunt fortissimi instar leonum. (Corn. à Lap.)

(2) Allegoricè, Jesbaam fuit typus Christi, qui uno impetu, id est, sermonis imperio, legionem expulit dæmonum, Lucæ 8, 30, ait Angelom.; imò in cruce superavit omnes dæmones, omnia peccata, mortem et infernum. Audi Rupert. lib. 2, c. 58: « In Christo fuit spiritus humilitatis, quasi tenerrimus ligni vermiculus, quo duce quasi vermem, et non hominem se conteri perpressus est; in hoc Verbum Dei est in unam eandemque personam unitum homini, quod et fortitudo ejus est, in qua percussit octingentos impetu uno; mortuus enim semel spoliavit inferos, et nunc sedens in cathedrâ omnes judicaturus est, vivos et mortuos. Quis omnium fortium angelorum aut hominum hucusque pervenit? Fuerunt post eum tres fortissimi, videlicet Apostoli primi prædicatores Trinitatis, quorum fortitudinem et nominibus propriis tres illi primi ordinis fortes pulchrè exprimiunt. Hi tres Apostoli sunt, SS. Petrus, Jacobus et Joannes. (Corn. à Lap.)

ex stirpe pullulat. Tunc verò rarum aliquid et prodigio simile narratur. Nam occidere octingentos prædurâ, crassâque vacerrâ, ac perticâ, quæ armatum galeâ caput frangat et excerebret, non ita mirabile: at si hæc præstet novellum aliquid et tenerum germen, quod vim habet nullam tumoris ac vuneris, id multum habet admirationis. Talis videri potest princeps iste robustorum, qui cum esset aut instar vermiculi, qui à ligno gignitur, aut instar termitis, qui vim habet nullam, aut impetum ad feriendum, sternere tamen potuit impetu uno non minus octingentis.

Alii, ut diximus, pro *ligni vermiculo*, *Adino Esnita*, quem patrem esse putant Jesbaam, aut certè nomen esse proprium illius viri, qui primus omnium et robustissimus existimabatur. Chaldaeus illud, *tenerum et delicatum*, cum Davide conjungit; neque quidquam hic de vermiculo ac ligno. Quod etiam facit Hispanica translatio, quæ sic reddit: *David el asentado en la cathedra, muy sabio, cabeça de los tres cavalleros, el era el deleytoso excelente*.

QUI INTERFECIT OCTINGENTOS IMPETU UNO. Quando id acciderit, non constat. Quomodo ab uno homine tanta potuerit patrarî cædes, nisi extraordinario aliquo subsidio Deus cepta promoveat, non apparet. Scimus à Samsonè penè inermi mille homines, illosque neque inermes, neque infirmos interfectos esse. Scimus à Jonathâ lib. 1 Reg. c. 14, multorum hominum editam stragem. Sed scimus in Samsonem Spiritum irruisse Domini, Jud. cap. 15, v. 14, et Jonatham auspice, ducente et adjuvante Deo, rem totam peregisse. Sic fortasse iste Jesbaam Spiritu instinctus divino aggressus est hostes, quos unâ expeditione, atque impetu prostravit. Neque tamen ille ideò fortis non fuit; magni enim est roboris et audacis animi hostium et multorum numero, et præstantium robore congressum non timere: neque Samsoni aut Jonathæ, dum aliquid tentarunt supra humanarum virium facultatem, divinus vel instinctus, vel favor fortitudinis nomen et gloriam ademit.

Si Jesbaam iste cohortis alicujus aut legionis dux fuit, non est cur tantum illi tribuatur laudis, quod octingentos uno extinxerit impetu, quia id quivis faceret è populo, modò cohors illa ex strenuo ac veterano milite constaret; quanquam non vulgaris sapientiæ est à quâ hic in presentia laudatur, rem ita moderari, ut sine ullo suorum detrimento tantam hostium multitudinem tam brevi facillèque